

1570 classis imperium majoribus comitiis cum Senatus prerogativa delatum est, qui tunc, Zannio e Creta discedente, trajetum in Cyprum praestolabatur. Classis legati Marcus Quirinus, Petrus Tronus designati. Sed jam Tronus, vir fortis atque acer, a pueritia maritimis in rebus enutritus, in Creta excefferat. Sancto Trono, damnatorum triremium praefecto, Adriatici maris custodia tributa. Et quia, ne ante acceptum de suprema sibi delata dignitate nuntium Venerius in Cyprum trajecisset, Senatus verebatur, classis legatum cum imperatoris auctoritate Augustinum Barbadicum elegit, virum eximia prudentia, ac virtute praeditum; qui licet maritima nunquam munera obiisset, attamen magistratibus domi, forisque magna cum laude gestis, atque apud summos Reges legationibus ingentem adeo nominis famam, ac expectationem apud cives sibi comparaverat, ut ab eo omnia fausta, at felicia sibi pollicerentur; nullumque illius humeris onus impar esse existimarent. Is cum primum Corcyram attigisset, Zannius ad urbem venit, cum interim in classe adhuc funera funeribus cumularentur, neque caloris, vel frigoribus vi terribilissimae pestis virus, quo quadraginta hominum millia absumpta fuerant, vinci posset. His caeli inclementia, foedaeque tempestates maritimae accesserant; quibus navigatione impedita, ea, quae difficillima tempora exposcere videbantur, expediri non poterant. Navigia quin etiam complura undis absorpta, vel impacta litoribus miserrime deperire; nam praeter triemes, quae in Creta naufragium perpessae fuerant, Quirina navis ad Prodonum fluctibus jactata, depressa est. Neque Venetis tantum, verum omni fere Europa saeviens procella annum memorandum ac funestum reddidit. In Neapolitano euripo complures Hispanicae triemes notho in litus ejectae, ac discerptae sunt. Tyberis praeter morem auctus magnum Romae timorem incussit. Rhodanus in Gallia Narbonensi, Rhenus in Belgio intumescens, magno impetu limites egressi, circumjectas regiones inundavere. Ferraria quoque horribili concussa terrae motu contremuit; templa, publica, ac privatae aedes prostratae; moenia solo aequata; incolae in agros effusi, intra tentoria, vel sub dio degere coacti.

His efficiebatur, ut tot adversis exagitatae mortalium mentes

*M. Quirinus, & Petrus Tronus classis legati.*

*Augustinus Barbadicus classis cum imperio legatus.*

*Venetorum adversitas.*

*Europa aquarum illuvie multis in locis vexata. Ferraria terrae motu concussa.*